

propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum. » Et libro quarto contra easdem epistolas, c. vi: « Quod autem dicunt gratiam quoque adjuvare bonum cuiusque propositum, mox addiderunt, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, posset bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur: Reluctanti enim prius aditus divinæ vocationis, ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante Spiritus virtutis accenditur. Verum tamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum. » Quare Pelagiani libentius utebantur nomine gratiæ adjuvantis, quia hoc nomine significabant gratiam simul cum causa inferiori influere in operationem, non tamen volebant concedere gratiam, quæ ipsam causam inferiorem præpararet, et præveniret, atque ita simultaneum concursum, qui simul cum nostro proposito bono concurrat, et operetur, seu adjuvet, non negabant, dummodo bonum ipsum propositum, seu voluntatem non præpararet gratia, sed supponeret. E contra vero Augustinus fere semper totum pondus necessitatis gratiæ in ipsam præparationem voluntatis a gratia factam reducit, licet non neget etiam cooperationem et simultaneum influxum in opus: ut patet in libris de gratia et libero arbitrio, cap. xvi: « Certum est, inquit, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui, quod præpararet voluntas a Domino. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus,

præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis, et faciatis. » Eodem modo ad præparationem voluntatis a gratia factam reducit Augustinus hanc gratiæ operationem, non ad simultaneum concursum in libro de correptione et gratia, c. viii, cum dicit: « Quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, et permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo pro illo non posset esse inanis oratio. » Ecce quomodo Augustinus non ad simultaneum concursum cum voluntate, sed ad præparativum reducit vim gratiæ; signum ergo est non in primo, sed in secundo cum Pelagianis fuisse controversiam. Nam ipsorum vox erat: « In bono opere a Dei gratia semper hominem adjuvari; » ut refert Augustinus libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. xviii. Adjutorium autem in opus, non in causam, præparando illam, simultaneus concursus est. Unde tandem in epistola cxi ad Vitalem concludit Augustinus eam quæstionem, quæ cum Pelagianis de gratia agebatur in eo sitam esse, videlicet: « Utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat ut velimus. » Ergo non erat difficultas cum Pelagio de concursu simultaneo, et consequente, sed de præcedente, et præparante ipsam voluntatem.

X. Ducor ultimo, quia Pelagius ideo negabat adjutorium Dei requiri ad nostros actus, quia dicebat tolli liberum arbitrium, si Dei indiget adjutorio, ut constat ex D. Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem ubi refert errorem Pelagii: « Quod non ul-

tra indigemus Dei auxilio, ne si indigerimus, liberum frangatur arbitrium. » Cur autem Pelagius dixerit arbitrium nostrum tolli, et necessitari per adjutorium Dei, et quasi sub fato quodam redigi, aperit Augustinus libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, c. v, his verbis: « Unde autem hoc eis visum fuerit nobis objicere, quod fatum asseramus sub nomine gratiæ, cum aliquanto attentius cogitarem, prius eorum verba quæ consequuntur, inspexi. Sic enim hoc nobis objiciendum putarunt. Sub nomine, inquit, gratiæ ita fatum asserunt, ut dicant, quod nisi Deus invito, et reluctanti homini inspiraverit boni, et ipsius imperfecti cupiditatem, nec a malo declinare, nec bonum posset arripere. Deinde aliquanto post, ubi ipsi quæ defendant commemorant, quid de hac re ab eis diceretur, attendi. Baptisma, inquit, omnibus necessarium esse ætatibus confitemur, gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum. Ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare, vel putari velle fatum nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundum merita nostra dicimus dari, sed secundum ipsius misericordiosissimam voluntatem. » Itaque Pelagius negabat gratiam, seu auxilium quod per modum fati, et necessitatis dicebat tollere liberum arbitrium, eo quod reluctanti voluntatem, et nihil de se merentem atque adeo nec bonam supponebat, sed faciebat: hoc enim intelligebant ipsi lædere liberum arbitrium, quia totaliter ipsum præveniebat, nec in manu ejus erat id habere. At vero concursus simultaneus in operationem bonam supponit voluntatem jam in se bonam, et aptam ad talem operationem, quia

simul cum voluntate inclinata influit in opus; ergo de tali influxu non poterant dicere Pelagiani quod tollit liberum arbitrium, si quidem cum illo simul influit in bonum opus, et sic simul cum illo: non ergo tollit illud. Ergo si solum negabant adjutorium, seu gratiam quæ tolleretur liberum arbitrium, simultaneum concursum non poterant negare.

XI. Ad fundamenta opposita patet responsio. Ad primum dicitur esse certum quod in initio Pelagius negavit auxilium Dei generale, etiam ad actus naturales, non explicando quid nomine adjutorii intelligeret, an aliquid influens in ipsam causam, et præparans, seu movens illam et applicans ad operandum, an solum influxum in ipsammet operationem, sed absolute adjutorium Dei necessarium esse negavit, quidquid illud sit; cum tamen etiam ad actus naturalis ordinis, et virtutis acquisitæ influxus, et auxilium requiratur præparativum voluntatis, sicut cum Deus convertit cor regis Assueri in mansuetudinem, Esther xv, qui videtur fuisse actus mansuetudinis acquisitæ, non infusæ, quia hæc solum est cum charitate, et tamen illam conversionem fuisse ex auxilio Dei omnino præveniente, et non solum adjuvante bonam voluntatem probat Augustinus libro de gratia Christi, c. xxiv, et libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. xx: « Occultissima, inquit, et efficacissima potestate cor regis convertit, et transtulit ab indignatione in lenitatem. » Cæterum postea Pelagius cum specialiter ageretur de gratia, simul et urgeretur a catholicis, magis se explicavit, et simultaneum concursum concessit, quo adjuvaretur bonum opus, negavit autem auxilium quod ipsam voluntatem præpararet, ut vidimus.

XII. Ad secundum dicitur in illa



auctoritate Hieronymi, Pelagium dixisse quod conservatio liberi arbitrii semel dati erat adiutorium, id est, beneficium Dei, non tamen negasse expresse simultaneum concursum, licet ibi etiam non concesserit, sed postea alibi explicavit, nempe in illis locis, quæ Augustinus refert, ubi concessit Deum adjuvare uniuscujusque bonum propositum ad ipsum opus, adjuvando, non voluntatem præparando.

XIII. Ad tertium respondetur, quod bonis et malis actibus, in quantum mali sunt, formaliter non est communis simultaneus concursus, quia ad malum ut malum nullo concursu Deus concurrit; ad entitatem autem materialem peccati, quatenus entitas est, eodem modo Deus concurrit; sicut ad naturales actus sub ratione physicæ entitatis præcise, et physici influxus præcise. Sed tamen Pelagius in loco adducto ex S. Hieronymo, ista non distinxit, sed absolute, et in confuso docuit non dari Dei adiutorium ad bonos, nec ad malos actus, eo quod existimabat per illud tolli libertatem nostram, qua absoluta, consequens erat id quod dicebat quod nec me coronabit pro bonis, neque affliget pro malis (quia libertas non est) sed suum recipiet, aut damnabit auxilium. Non tamen ex hoc sequitur quod ipse semper negaverit concursum simultaneum, qui supponit, non destruit liberum arbitrium, simul enim influit cum illo, sed solum illud auxilium negavit, quod tollere putabat libertatem, qua sublata, nihil est quod Deus in nobis coronet, vel puniat. Ad secundam probationem dicitur, quod Pelagius docebat adjuvari possibilitatem nostram, seu potentiam simul cum illa influendo in operationem bonam, non autem præparando illam, et immutando ut velit, et agat, et sic non negabat simultaneum concursum, sed præ-

parativum, et influxivum in voluntatem, ut velit, et agat. Ad tertiam probationem dicitur, quod Augustinus etiam ad naturales actiones, et ad entitatem peccati ponit Deum operari, et influere in nobis: non tamen omne quod ponit Augustinus circa naturales actiones, negabat Pelagius in moralibus, et voluntariis bonis, sed ad illas dicebat requiri auxilium Dei adjuvans in operationem (quod est concursus simultaneus) non tamen præparativus, et immutativus ipsius voluntatis, quod reluctans voluntas præparatur in bonum, ut diximus.

QUID DE AUXILIO SUFFICIENTI PELAGIUS DIXERIT?

XIV. Sufficiens auxilium dicitur illud quod dat sufficientiam, seu posse, non effectum ipsum, aut actionem, stat enim bene nos multa posse, quæ non volumus, nec egimus; multa etiam velle quæ non possumus agere, licet velle possimus, si de facto volumus. Unde Augustinus in libro de correptione et gratia, c. XII: « Ipsa, inquit, adiutoria distinguenda sunt: aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, et aliud est adiutorium, quo aliquid fit: nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit: ergo adiutorium alimentorum esse sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. » Et primum auxilium quod est sufficiens docet datum fuisse primo homini, quia poterat perseverare non tamen fuit ei datum illud quo perseveraret; « Nunc autem prædestinatis, inquit, tale datur adiutorium, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc do-

num non nisi perseverantes sint. » Unde patet apud Augustinum illud quo efficax auxilium a sufficienti distinguitur ex dono Dei esse, et tale esse donum, quo non nisi operans aliquis, seu perseverans fit: si autem aliquid detur cum quo stare possit, quod non operans, nec perseverans sit, in hoc dono non potest constitui illud adiutorium quod ab eo sufficienti distinguit Augustinus per hoc solum quod aliquis non nisi perseverans sit.

XV. Hoc supposito de hoc secundo auxilio, quo aliquis non nisi operans, seu perseverans fit, dubitari non potest a Pelagianis admissum non fuisse, imo illud manifestissime accepisse Semipelagianos, et ob hoc maxime ab Augustini doctrina decessisse, docet S. Prosper in epistola ad Augustinum ante librum de prædestinatione sanctorum. Et ipse Pelagius negabat voluntatem nostram, (id est, actum volendi) et operationem esse ex adiutorio Dei, sed solum ipsam possibilitatem, id est, potentiam ad agendum dicebat adjuvari gratia, et auxilio Dei, ut refert Augustinus libro de gratia Christi, cap. IV et V, et sic auxilium efficax quod est ad volendum, de facto, et non solum ut habeat quis potentiam ad volendum, prorsus negabat Pelagius, quia velle vel nolle, consentire vel dissentire ita nostrum dicebat esse, quod ad id non indigemus adiutorio Dei, sed non facimus ut valeat, vel non valeat in nobis gratia ipsius. Unde epistola CVII ad Vitalem, sic ipsum introducit dicentem: « Operatur ille, dicis, quantum in ipso est, ut velimus cum nobis nota fiunt ejus eloquia, sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis possit, efficimus. Quæ si dicis: Profecto nostris orationibus contradicis, etc. » Et in eodem libro de gratia Christi cap. XXV, sic contra Pelagium dicit

Augustinus: « Desinat dicere quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, quod vero bene, vel male agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est: desinat, inquam, ista dicere; non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle, et agere operatur in nobis. » Et cap. XLI: « Ab illo, inquit, suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem, et solam possibilitatem dicit divino semper adjuvari auxilio, voluntatem autem et actionem nullo Dei adiutorio existimat indigere. » Quare auxilium ad ipsum actum sive volendi interius, sive agendi exterius, Pelagiani negabant, quod est auxilium efficax quod datur ad volendum vel agendum de facto: ad hoc enim dicebat liberum arbitrium ex se determinari: imo in hoc præcipuum punctum controversiæ fuit cum Pelagio, ut fateretur non solum gratiam, quæ dat nobis posse, et potentiam adjuvat, sed etiam illam gratiam, quæ adjuvat ut velimus, et agamus de facto, ut patet in eodem libro, cap. XLVII. Et hæc gratia non solum per doctrinam, aut suasionem, vel revelationem, sed per subministrationem in ipsam voluntatem debere poni docuit toto illo libro, c. II, cap. VII, cap. X, cap. XIV, cap. XXIV, et aliis.

XVI. Loquendo autem de auxilio sufficienti per quod nobis datur ipsum posse, licet non ipsum de facto operari, lubrice, et sub ambiguitate de illo locutus est: nam licet perpetuo illa tria distingueret in nobis, scilicet posse, velle, et agere, seu possibilitatem, voluntatem, actionem; et primum, scilicet posse, seu possibilitatem dicebat esse a Deo, et a Dei gratia adjuvari, secundum autem et tertium a nobis, sine alio



adjutorio Dei, quia per illud quo adjuvatur posse, seu possibilitas, dicebat Deum operari in nobis velle, et perficere, scilicet per legem, et doctrinam, ut in libro de gratia Christi, cap. vii et x refert Augustinus. Sed tamen in hoc posse, seu in hac possibilitate adjuvanda per gratiam Dei aliquid requirebat ad simpliciter, aliquid ad facilius posse. Ad simpliciter solum requirebat Pelagius ipsam naturalem potestatem liberi arbitrii, et ad summum etiam notitiam aliquam legis, quia sine cognitione nihil potest esse volitum, discipuli autem Pelagii etiam ad aliqua opera requirebant simpliciter gratiam; ad facilius autem posse, adittebat Pelagius gratiam aliquam dari, quæ ipsum posse juvaret, ac per hoc intra lineam sufficientis auxilii remaneret, id est, cujus munus, et officium esset dare, seu juvare potentiam, non ad operandum de facto subministrare, et applicare. Sed tamen totum hoc adjutorium pro sic posse, reducebat ad doctrinam, vel cognitionem magis, aut minus manifestantem, et ostendentem quid agere debeamus. Ostendo singula.

XVII. Dicimus quod ad simpliciter operandum requirebat ipsam naturam liberi arbitrii, quam etiam jurabat gratiam, id est, beneficium gratis a Deo acceptum in creatione, ut pluribus locis præcedentis articuli ostendimus, et Augustinus specialiter refert libro de gratia Christi, cap. iv, ubi in Deum etiam referebat laudem boni operis: « Quia possibilitatem voluntatis, et operis dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio. » Naturam ergo potentiæ liberæ simpliciter requiri ad posse operari non potuit Pelagius negare, quia sine ipsa nihil esset, quod posset operari, et ut dicit Augustinus c. vi præfati libri: « Nisi esset natura in qua nos

condidit, qua velle, et agere possemus, nec vellemus, nec ageremus. » Legem autem, seu aliqualem notitiam operis faciendi, etiam simpliciter requiri, non potuit negare, ut ponderavimus articulo præcedenti circa primam moderationem Pelagii, tum quia hoc pertinet ad ipsam naturam liberi arbitrii, quia nihil potest velle, quin prius cognoscat; tum quia Pelagius apud Augustinum libro citato de gratia Christi, cap. vii, affirmans gratiæ auxilium subministrari a Deo, ut quæ per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam, subjungit: « Quam nos, non ut tu putas, in lege tantummodo, sed et in Dei adjutorio esse confitemur. » Ergo illam gratiam quæ est ad facilius segregabat Pelagius a lege sola, et aliud esse dicebat: legem ergo solam ad simpliciter posse requirebat. Quod vero Pelagii discipuli requirerent pro aliquibus operibus gratiam simpliciter, statim eorum sententiam referendo ostendimus.

XVIII. Quod vero ad facilius admitteret gratiam, seu auxilium sufficiens superadditum naturæ libertatis, pertinensque ad officium, et munus sufficientis gratiæ, quia daret vires, et posse, licet ad facilius, patet, quia, ut refert Augustinus libro citato de gratia Christi, cap. iv, et v, dicebat possibilitatem adjuvari auxilio gratiæ, non ut velimus, non ut agamus, sed ut velle, et agere valeamus: ergo hoc adjutorium ponebat ad posse, scilicet ut valeamus, quod utique est munus sufficientis auxilii. Et capite septimo dicit quod: « Gratiæ suæ auxilium subministrat, ut quæ homines per liberum facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam, » ubi iterum datur gratia ad posse implere, sed facilius. Unde in capite xiv refert Augustinus ex ipso Pelagio

sic: « Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modo dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam sentiat, quo ipsa ut dicit possibilitas adjuvatur. » Ergo ita ipsum posse affirmabat pertinere ad naturam, quod etiam non negabat pertinere ad gratiam, etiam si hoc fortassis ab initio non admitteret: « Qui modo, inquit, id dicere cœpit. »

XIX. Quod vero diceret pertinere totum hoc ad legem, atque doctrinam, ita ut ipsum adjutorium sufficiens, quo possibilitas adjuvatur, non in alio poneret, ipse Augustinus declarat libro citato de gratia Christi, c. xli: « Solam possibilitatem, inquit, divino dicit adjuvari semper auxilio, voluntatem autem, et actionem nullo Dei adjutorio, existimat indigere: ipsum vero auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur, etiam Sancto Spiritu revelari, propter quod et adorandum esse concedit. Sed hoc adjutorium legis, atque doctrinæ etiam prophetis fuisse temporibus, adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis quæ nobis evangelio prædicatur, ut videlicet tamquam via demonstrata qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficimus nobis ne deficiamus in via, quamvis et ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius si adjuvet gratia. » Ecce quomodo explicabat Pelagius auxilium sufficiens, quod ad possibilitatem ipsam juvandam dari dicebat, nimirum quod esset lex, aut doctrina, sed non lex, aut doctrina qualiscumque, sed Spiritus sancti revelata (quod aliquid supernaturale sonat) et in lege gratiæ ad-

debat esse exemplum Christi, per hoc enim nobis facilius monstratur via ad Deum, licet per naturam etiam aliquam possit inveniri, ut proinde intelligamus aliquid poni a Pelagio quod simpliciter esset necessarium ad opera bona, scilicet illa notitia, et demonstratio viæ, quæ saltem per naturam, aut legem naturalem posset inveniri. Quod vero addebatur super hoc per evangelium et per revelationem Spiritus sancti ad facilius operandum pertinebat. Quod etiam ibidem capite xl, indicat Augustinus dum dicit quod: « Pelagius ponebat nos adjuvari gratia Spiritus sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut facilius resistat. Quod tamen quaecumque, et quantumcumque adjutorium, eum credibile est in hoc constituere quod nobis additur scientia, revelante Spiritu per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficile possumus habere per naturam. » Constat ergo quod illud adjutorium ad facilius, quod tamen solum dicebat pertinere ad possibilitatem, quia ipsum posse augebat, aut facilitabat addendo sufficientiam, non efficaciam præbendo, in aliqua doctrina superaddita per revelationem Spiritus, qualis per naturam non poterat haberi, constituebat, non in communi notitia, nec in aliqua alia subministrazione virtutis, ut supra late ponderavimus.

XX. Valde autem parum urget argumentum oppositorum auctorum, quod in xlii congregatione posuerunt, quia gratia quæ dat posse, est vera gratia, Pelagius negavit veram gratiam: ergo negavit auxilium sufficiens quod dat posse. Jam supra solvimus simile argumentum. Negavit Pelagius veram gratiam adæquate, et plene, sicut ponitur a catholicis, quæ dat operari: con-



cessit aliquam saltem ex parte legis, et doctrinæ etiam interioris, et non amplius, et hæc pertinet ad sufficiens auxilium. In eo vero quod non amplius concessit, vel solum ad facilius, non veram gratiam admisit, sicut a catholicis ponitur.

QUID ALII DISCIPULI PELAGII SUPER  
IPSUM ADDIDERINT?

Cum a Pelagio, et Cœlestino sub tot ambiguitatibus, et ambiguis nihil amplius posset extorqueri in confessione divinæ gratiæ, quam id quod hucusque ex ipso retulimus, et ex Augustino qui præcipue in libro de gratia Christi, exactius mentem, sensumque Pelagii in hac materia detexit, cœperunt ejus discipuli dividi.

XXI. Ac primo, episcopi quidam Pelagiani in epistola quam Thessalonicam miserunt, cujus mentionem facit Augustinus libro II contra duas epistolas Pelagianorum, cap. I, et cardinalis Beronius anno Christi 449, num. XLV, admiserunt gratiam Dei subsequenter, et adjuvantem bonum propositum, atque simpliciter necessariam ad faciendum opus perfectum, et consummatum, non tamen prævenientem ex parte voluntatis, ita quod reluctanti cordi Deus illam immitteret, nec simpliciter necessariam ad ipsius imperfecti operis cupiditatem. Quod enim ipsi admitterent, gratiam Dei adjuvare bonum propositum, non tamen ita quod reluctanti studium virtutis immitteretur, clare liquet ex ipso Augustino libro ipso secundo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. V et VI, in verbis supra jam relatis: « Gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere; » hoc enim dicebant esse ideam, ac sub

nomine gratiæ fatum ponere. Quod vero dicerent aliquam gratiam dari, non solum ad facilius, sed etiam ad simpliciter, non quidem pro quocumque opere, etiam imperfecto, sed pro perfecto, et consummato, clare significat Augustinus libro II citato, cap. VII, et in hoc eos a Pelagio magistro suo discernit. Verba Augustini sunt: « Pelagius facilius dicit impleri quod bonum est, si adjuvet gratia. Quo addimento, id est, addendo facilius, significat hoc se sapere, quod etiamsi gratiæ defuerit adjutorium, potest quamvis difficilius impleri bonum per liberum arbitrium. Sed istis quid in hac re sentiunt, non de illo auctore hujus hæresis, præscribamus. Præmittamus eos cum suo libero arbitrio esse liberos, et ab ipso Pelagio ad quem ista verba eorum, quæ in hac cui respondemus epistola posuerunt, potius attendamus. Hoc enim nobis objiciendum putarunt, quod invito ac reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quancumque boni, sed et ipsius imperfecti cupiditatem. Fortassis ergo ipsi saltem eo modo servant locum gratiæ, ut sive illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius posse, sed nisi per illam omnino non posse. Verum et sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari, etc. » Sic Augustinus de his Pelagii discipulis. Ubi apparet, quomodo post Pelagium videbantur aliquam gratiam ad simpliciter, confiteri, licet id cum aliqua hæsitatione dixerit Augustinus in illo verbo fortassis, etc. non quidem pro prima incœptione, et imperfecta boni cupiditate, seu desiderio, sed pro perfecta. Unde nomen gratiæ adjuvantis absolute non respuebant, quia adjuvare simultaneo concursu supponit aliquid quo adjuvatur, et cum Deus non adjuvet nisi bonum, dicebant

istam gratiam supponere bonum propositum, et sic gratiam consequentem videbantur concedere, non prævenientem; ad opus tamen perfectum dicebant ita gratiam istam adjuvantem requiri, quod non solum ut facilius possit, sed ut simpliciter voluntas possit, requirebatur. Et hunc sensum istorum discipulorum Pelagii, videtur postea secutus Vitalis, ad quem scribit Augustinus epistola CVII, et Massilienses, seu Semipelagiani de quibus articulo sequenti.

XXII. Secundo, alii convicti ad ponendum gratiam quam catholicis asserebant, in aliud extremum declinarunt, confitendo gratiam, sed tollebatur liberum arbitrium, ideoque dicebant non esse necessariam correptionem pro male agentibus; sed solum Deum esse orandum, ut det nobis Spiritum et gratiam quam bonum operemur, si quidem ipse operatur in nobis velle. Hi autem fuerunt quidam monachi Adrumentini sub Valentino abbate, ut colligitur ex Augustino libro primo retract. cap. LXVI, quibus etiam scriptis idem Augustinus epistolam XLVI et XLVII et ad eos instruendos, ac reducendos misit librum de gratia et libero arbitrio, et de correptione, et gratia, ubi ostendit non tolli liberum arbitrium per gratiam Dei, potius enim per gratiam perficitur ad operandum liberum arbitrium modo libero, et sibi proportionato; imo ubi non est libera operatio, gratia nihil facit. Nec etiam tollitur correctionis necessitas, quia correctione utitur Deus tamquam medio extrinsecus adhibito, ut intus operetur bonam voluntatem.

ARTICULUS IV.

*Quid senserint Semipelagiani?*

I. Dicti sunt Semipelagiani quidam hæretici, qui non ex toto erro-

rem Pelagii sequebantur, sed in plurimis ab eo discedentes aliquid tamen de ejus erroribus retinebant, præsertim in materia de prædestinatione, et initio bonorum operum, ut mox referemus. Et quidem cum Pelagiana hæresis multis scateret erroribus circa peccatum originale, circa carentiam omnis peccati in viris perfectis, circa necessitatem gratiæ ad bene operandum, varie discipuli Pelagii, imo et Pelagius ipse moderationem suæ sententiæ temperarunt, nec tamen Semipelagiani sunt dicti, sicut illi qui a Prospero, et Hilario in suis epistolis Augustino significantur, et proprie dicti sunt Semipelagiani, seu reliquiæ Pelagianorum, eo quod illi qui temperabant sententiam Pelagii, nullum fere errorem Pelagii abjiciebant, sed verbis potius ludebant, eadem diversis verbis iterum atque iterum inculcantes. Semipelagiani autem multos ex erroribus Pelagianorum negabant, admittentes peccatum originale, et baptismum etiam parvulis esse dandum, gratiam quoque esse necessariam pro bonis operibus, solum vero initium bonorum operum, sicut est fides, oratio, desiderium, et similia, esse ex nobis. Quare omnes illi discipuli Pelagii qui eum ita moderati sunt, ut dicerent Deum non inspirare nobis etiam ipsum initium boni, et imperfecti operis cupiditatem, nec reluctanti cordi studium virtutis immittere, ne Deus diceretur acceptor personarum, isti, inquam, Semipelagianismo viam aperuerunt, et occasionem Semipelagianis dederunt suam hæresim suscitandi, sicut fuerunt illi episcopi, quorum epistolam Augustinus impugnat, libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, et hæc refert de illis c. V, VI et VIII, prout in fine præcedentis articuli retulimus. Maxime etiam ad hanc hæresim